

INDEX

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

R. P. F.

LUCII FERRARIS

SOLER-ALEXANDRINI,

ORDINIS MINOR. REGUL. OBSERV. S. P. FRANCISCI,

PROMTA BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA

(JURIS HISPANICI HODIE ETIAM VOCABITUR)

DE PRINCIPALIORIBUS, ET FERÈ OMNIBUS, QUÆ IN DIES OCCURRUNT, NEC PENES
OMNES FACILE, AC PROMTE REPERIRI POSSUNT,

EX UTROQUE JURE, PONTIFICIIS CONSTITUTIONIBUS, CONCILIIIS, SACR. CONGREGATIONUM
DECRETIS, SACRÆ ROMANÆ ROTÆ DECISIONIBUS, AC PROBATISSIMIS
ET SELECTISSIMIS AUCTORIBUS

ACCURATE COLLECTA, ADAUCTA, IN UNUM REDACTA, ET ORDINE ALPHABETICO CONGESTA,
AC IN DECEM TOMOS DISTRIBUTA.

*In hac editione, secunda hispana, non solum Additiones legales, jam antea publicatæ, acce-
dunt, sicut in prima, verum etiam leges, Auctoris doctrinam astruentes, permultæque
aliæ adnotationes, eisdem decisionibus insistentes, nunquam antea editæ:*

OPERA AC STUDIO ID TOTUM ELABORATUM

L. D. FRANCISCI Mariæ VALLARNA

MADRIDENSIS COLLEGH ADVOCATORUM ALUMNI.

TOMUS DECIMUS.

CONTINENS

Præter novissim. quasdam addit. omissas, Sacrarum Rituum, & Concilii Congregat. Decreta,
& Resolutiones; necnon rerum & verborum Indicem locupletissimum totius Bibliothecæ.




SUPERIORUM PERMISSU.
MATRITI:
TYPIS ET SUMPTIBUS REGLE TYPOGRAPHORUM ET BIBLIOPOLARUM SOCIETATIS.
MDCCXCV.

BIBLIOTHECA CENTRALIS

collecta faciem præferre valent ad errores illos corrigendos, qui passim à nonnullis admittuntur. Et mirum hac in re est opus Cajetani Maria MERATI, qui in librum celeberrimi Bartholomæi GAVANTI commentaria edidit perillustria, inque operis calce decisiones Sacrae hujusce Congregationis addidit quamplurimas. Has in unum collectas, & alphabetico ordine digestas juxta materiarum seriem typis mandare curarunt nonnulli, ut aliorum desiderio fieret satis. Sed illud commodi in eorum operibus, quod dum conantur decreta quæque colligere, triticum à paleis scœrnere sibi non sumpserint: multa quidem ibi authentica, sed nonnulla etiam apocrypha, alia vero incertæ, & sublestæ fidei comminiscuntur, quæ veris etiam fidem fortasse derogent. Vera igitur à falsis, certa à dubiis separanda sunt, ne forte quæsito suppositionis prætextu, iis etiam, quæ negligere piaculum est, obedientia denegentur, indeque perniciose in sacra Liturgia confusio suboriatur. Hoc quidem præstare conatus sum in novo hoc Opusculo, quod propterea DECRETA AUTHENTICA inscribere volui. Quantum vero studii & diligentie adhibuerim, ut ea tantummodo Decreta prodirent, quæ authentica sunt, paucis accipito. Primum ex auctoribus ea dumtaxat selegi, de quorum fide nemini dubium esse potest; ea rejeci, quæ apocrypha erant & falsa; de quorum vero auctoritate mihi non omnino constabat, ea Romam misi, ut cum Regestis S. R. C. conferrentur, quo per fidelem ministrum accurate factò, mihi per literas renuntiatum est quæ ibi invenirentur, & genuina essent. Deinde Summorum Pontificum decreta pervolvens ea decerpssi, quæ ad hanc materiam spectant. Nec istud mihi satis; sed cum animadvertirem multas fortasse decisiones, quæ ceterum authenticæ essent, alibi, quàm in Regestis S. R. C. inveniri posse, scrutatus sum Archiva, Bibliothecas, vel loca alia, si quas ibi forte reperirem, sigillo Sacrae Congregationis munitas, & per manum Illust. ac Reverendiss. Secretarii obsignatas, easque ceteris adjungi curavi. Quantum vero ad ordinem, placuit per temporum potius quàm alphabeti seriem Constitutiones istas disponere, ne ob rerum multiplicem confusio aliqua lectoribus ingereretur; tum etiam ut ea quæ de novo prodibunt decreta, commode adjungi possent; quod quidem fieri haut poterat, nisi servato temporum ordine. In fine tamen materiarum Indicem per alphabetum subtexui, quo facilius decisiones istæ invenirentur. Adnotationes quoque suis locis, at illas perbreves, inserere mihi visum fuit. Quorsum hoc? ut ostenderem in quo sensu S. C. responsa accipienda sint, ea præsertim, quæ sibi invicem adversari videntur; propterea declaratione opus erat, quomodo, vel quando obligarent, semper ne, vel ad tempus? Quare eas potius concordantias, quàm adnotationes nuncupare potes. Quas ut optime elucubrarem, non Auctorum quorundam opinionibus innixus, sed Summorum Pontificum oraculis, vel auctoritate Sacrarum Romanarum Congregationum, vel Rubricis Missalis, Breviarii, Ritualis, Pontificalis Romani, & Cæremonialis Episcoporum, concinnavi.

Hæcenas primas curas huic operi impensas enarravi: nonnulla de secundis pro presenti editione susceptis dicere liceat. Præter Decreta bene multa superaddita Decretis à Summis Pontificibus confirmatis, verba quibus Bulla exorditur, & numerum in quo de his Decretis mentio habebitur, adjeci. Aliarum Congregationum Decreta, v. g. Interpretum Concilii Tridentini, Rotæ &c. numero pagine, ubi in Lib. Regest. reperjuntur, munita sunt. Quandoque, raro tamen, nota temporis Bullæ potius indicator, quàm Decreti, quia notior illa, atque inventu facilior. Quæ decreta in compendium redacta non satis perspicua reddebantur, integra cum ipsa dubii propositione dedi, ut Lector vim responsionis comprehenderet. Hinc admonitum velim, ut omnia quæ Decretis adnexa sunt, legat; loca item alia ad quæ remitto, ut clariorem vel uberiozem notitiam percipiat. Novas plurimas adnotationes ex eisdem fontibus hausas, eademque methodo concinnatas non tantum novis, verum etiam aliis exhibitis Decretis addidi. Unum moneo, decreta S. R. C. authentica me certò proponere, & quidem omnia, quæ potui, congerere elaboravi. Illud omnibus certò persuasum velim, quidquid expiscari licuit, me in aliorum commodum, & utilitatem conferre stategisse. Tu, benevole lector, si collectionem hanc nostram tibi prodesse cognoveris, laborem tibi impensum æqui bonique consule, & vale.



DECRETA SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS.

- C**LERICI parati ratione paramentorum thurificandi sunt ante beneficiatos: Sacra Rituum Congregatio die 10. Junii anno 1602. in Laureana. Ratione Paramentorum; ita & beneficiati parati ante non paratos, sicut & Canonici sacris vestibus indui ante alios Canonicos non induros; ex aliis decretis S. R. C. sub n. 9. & 18. & cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 23. num. 30.
- Monachi Congregationis Cassinensis non sunt ullo modo cogendi accedere nisi ad processionem Sanctissimi Sacramenti, juxta eorum antiquam consuetudinem, quam eis ubique conservandam esse censuit S. R. C. 10. Junii 1602. in Placentina. Decretum hoc uti emanatum à S. R. C. approbatum, & confirmatum ab Urbano VIII. constit. edita die 17. mensis Novembris 1638. quæ incipit. Nuper pro parte.
- Episcopus non potest cogere Regulares, ut faciant commemorationem ipsius in ultima collecta: S. R. C. 10. Junii 1602. in Egitanen.
- Consuetudo immemorabilis, ut præter Diaconum & Subdiaconum Canonicum celebranti solemniter assistat unus Capellanus cum Pluviali, servanda est; S. R. C. 10. Junii 1602. eodem die & mense 1604. in Mantuana, & 27. Julii 1726. ad Episcopum Papiensem in audientia Sanctissimi Papæ Benedicli XIII. ad primum dubium (Solenniter): In missis privatis nulla datur assistentia Canonico, sed celebrare debet uti simplex Sacerdos, servatis solummodo distinctionibus quoad paramentorum qualitates, & locum parandi. Vide n. 830. 951. & 966.
- Usus semel introductus juxta regulas libri cæremonialis servandus est, & pax cum osculo omnibus viris ecclesiasticis in choro sedentibus danda est: S. R. C. 8. Julii 1602. in Messanen. (Usus semel introductus) amplius non dat locum Ecclesiarum consuetudini: Vide num. 41. & 55. (In choro sedentibus) Intelliguntur qui jus sedendi habent in choro & stallum; pax enim stanti, & non sedenti danda est. Cærem. Episc. lib. 1. cap. 24. num. 27. (Cum osculo viris ecclesiasticis) appropinquando genam, ita ut se invicem leviter tangant. Laicis verò, licet Magistratus, Barones, & Nobiles sint, cum instrumento, quod prius osculetur à porrigente pacem, nulla reverentia quibuscumque facta antequam det, sed post datam pacem, etiamsi adesser Imperator. Spectabit autem semper ad Presbyterum assistentem in Missis, in quibus adhibetur, pacem deferre, Subdiacono vero in aliis: qui datur debent pacem, postquam per osculum detulerint Dignitatibus & Canonicis, etiam Magistratibus secularibus, sed istis cum instru-

mento; postremò eam alicui tradit Acolyto, vel Cæremonario, qui ceteris de choro distribuit, scilicet Ecclesiasticis cum osculo: Laicis cum instrumento. Regulare est, ut pax detur primo cuiuscumque ordinis, ubi præbendæ sunt distinctæ; & ubi non sunt distinctæ, primo ab utroque latere, qui successive dat alteri subsequenti, dicens Pax tecum, cui respondeat qui pacem accipit, Et cum spiritu tuo: Cærem. Episc. lib. 1. cap. 24. per totum. In missis etiam planis coram Episcopo dari solet ipsi Episcopo pax cum instrumento: Idem lib. 1. cap. 30. num. 12. Vide numer. 1144. Diaconus verò & Subdiaconus in missa solemnì, cum communicant, quomodo pacem accipiant, consule num. 84.

Assistentia, quæ à Canonicis Diaconis hinc inde debetur per viam Episcopo accedenti ad ecclesiam pro missa & vespers celebrandis, fiat tantum quando Episcopus pergit intra, vel extra eandem ecclesiam cum pluviali & mitra, non verò quando incedit cum cappa: S. R. C. 3. August. 1602. in Bina (Cum cappa). Tenentur cum aliis Canonicis Episcopum ad ecclesiam comitari, & tunc dum alii accipiunt paramenta, ipsi sua accipiant; Cærem. lib. 1. cap. 9. n. 1. Vide num. 1204.

Capellani, seu alii Ministri Ecclesiæ, quocumque nomine appellentur, solitas functiones facere debent, licet cæremoniale ad eas exercendas eos nomine proprio non appellat: S. R. C. 3. August. 1602. in Patavina.

In regno Castellæ & Legionis servandum est cæremoniale Episcoporum, etiam in generalibus processionibus, ita ut Fratres, seu Monachi, vel Ordines regulares antecedant, & Presbyteri, seu Clerici seculares subsequantur, & ultimum locum detineant, nec mixtum cum Regularibus incendant. Superiores verò dictorum Regularium numerum debitum, decentem, & consuetum fratrum ad easdem processiones mittant: Sac. Rit. Congreg. 30. August. 1602. in una Castellæ & Legionis. (Regulares antecedant). Religiosi post fraternitates laicorum juxta ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine præcedere solent: postea curiales & officiales, inter quos ultimo loco ibant nobiliores & Magistratus, deinde Clerus, hoc est, primo ministri portans crucem ecclesiæ cathedralis, medius inter duos clericos cum candelabris accensis, deinde Clerici Seminarii, postea Curati ecclesiarum parochialium cum cottis, tum collegiata cum suis insignibus, quæ etiam in die Corporis Christi permittuntur, si aliis illa deferre soleant; & ultimo loco Clerus ecclesiæ cathedralis, post

BIBLIOTECA CENTRAL
UNIVERSITÀ DI PADOVA

quem Canonici parati suis parametis, scilicet Subdiaconi cum tunicis, Diaconi cum dalmaticis, Presbyteri cum planetis, & dignitates cum pluvialibus, etiam Præbiterii, licet dubitetur an sit dignitas, ex decret. Sac. Rituum Congregat. sub num. 59. Quæ paramenta hoc ordine erant semper à Canonici assumenda in processionibus de die Corporis Christi, & in litanis majoribus & minoribus, si comode, quoad processiones litaniarum, fieri poterit: quo in casu saltem sex, vel octo eorum erunt cum pluvialibus, ultra duos Diaconos assistentes cum dalmaticis hinc inde cum Episcopo: Cærimon. Episc. lib. 2. cap. 32. num. 1. & cap. 33. num. 5. seqq. Vide etiam numer. 37. 209. & 1129. Circa verò Magistros, tum cærimoniarum, tum capellæ cum Cantoribus. Vide num. 114. & 159.

9 Beneficiati parati incensurum ante non paratos: S. R. C. 30. August. 1602. in Calaritano, V. num. 6.

10 Baldachini hæc in ecclesia deferenda sunt, ut dicitur in libro cærimoniali Episcoporum lib. 1. cap. 4. S. R. C. 30. Augusti 1602. in Melphiten. Umbraculum, quod in processionibus deferri solet per nobiliores laicos, vel ecclesiasticos, deferri solet hoc ordine. Dignior ferat primam hastam, quæ est ante Episcopi dexteram; secundus alteram, quæ prima est ante Episcopi sinistram: tertius aliam, quæ immediate est sub primâ à parte dextera, & sic successive, usque etiam ad octavum: ita ut minus digni habeant postremas hastas post tergum Episcopi. Pluribus verò concurrentibus quàm octo, servari debet idem cærimoniale, ubi ait: "Quod si inter digniores plures essent, qui de æquali gradu, aut prææminentia contendere, adeo ut omnibus his primo loco hæc baldachini assignari nequirent, reliqueretur his ultimis locus, id est, ubi processio jam pervenit ad ecclesiam, ad quam dirigitur: talis enim locus reputatur primo æqualis." Lib. 1. cap. 14. num. 3. Sacerdotes vero, sive Dignitates sint, sive Canonici, sive Beneficiati, vel Mansionarii cum parametis, id est, cum pluviali, sive non, prout processio fit cum parametis, vel sine illis, hastas deferant per totam ecclesiam, & in porta ecclesie illas relinquunt in manibus laicorum, ut dictum est: Cærimon. Episcop. lib. 1. cap. 2. cap. 23. numer. 10. & 23. num. 13. & 21. Vide num. 191. & 1145.

11 Tertiarii Sancti Francisci degentes in seculo, qui fuerint de gremio alicujus ecclesie, & illius choro obligati, debent recitare officia particularia illius ecclesie, secus autem si sint de gremio, & nullatenus choro intervenire debuerint: S. R. C. 28. Septembr. 1602. in una Ordinis S. Francisci de Observ. Nomine officiorum particularium non ea tantum veniunt, quæ ritum habent solemnem, puta Titularis, Dedications &c. sed obligantur ad recitationem illius Breviarii in integrum juxta ordinem dicte ecclesie, ad cujus chori servitium tenentur: & hoc afficit etiam clericos choro ecclesie cathedralis deputatos, in quo ritus monasticus adhibetur. Quando ecclesia cathedralis est Regularis, Clerici secularis choro deputati recitare tenentur in choro juxta Breviarium Monasticum, nec Episcopus potest separare Clericos à Monachis. Secus autem si non essent choro obligati. Vide num. 1208. & 1275.

12 Canonici debent cantare alta voce, & potest Episcopus eos hortari ad id faciendum, S. R. C. 23. Novembr. 1602. in Egitanien. Alioquin distributiones assignatas lucrari nequeunt, ex constit. S. Pii V. quæ incipit: Ex primo Lateranensi Concilio: & ex constit. Benedicti XIV. quæ incipit: Cum semper: necnon ex Brevi ejusdem ad Eminentiis. Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquil. cujus initium: Dilecte fili. . . Præclara decora: Constitutio illa supra laudati S. Pii V. edita fuit die 20. Septembr. 1571. Benedicti XIV. Cum semper 19. August. 1744. Et Præclara decora 19. Januarii 1748.

13 Genuflexionem est semper ab omnibus transeuntibus ante Sanctissimum Sacramentum, etiam dum fiunt processiones per ecclesiam, & contraia consuetudo declaratur abusus: S. R. C. 14. Decemb. 1602. in Pæcen. (Genuflexionem est). Excipe crucem deferentem,

Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 27. num. 7. An verò genuflexiones faciendæ sint ab omnibus duplicatis genibus, quando expositum est Sacramentum patenter, vel velatum, ac etiam inclusum in sola pyxide: Vide numer. 1224. & 1289.

Substitutus Archipresbyteri non debet cantare missas, quæ ad ipsum Archipresbyterum pertinent, nec locum & honorem incensi & pacis ipsius Archipresbyteri præterdere: S. R. C. 14. Decembr. 1602. in Maruggen. nullius. Nec alia officia ad ipsum Archipresbyterum pertinentia. Vide num. 164.

Potest Episcopus etiam in ecclesiis Regularium cantare facere missas Rogationum per suos Canonicos: S. R. C. 21. Januarii 1603. in Firmiana (Missas Rogationum), etiam si incididerit infra octavam Paschatis, & in diem S. Marci, nisi in ecclesia propria. Vide n. 612. 644. & 700.

Vicarius generalis præcedere debet omnes Dignitates & Canonicos, dummodo non sint parati sacris parametis, & dummodo dictus Vicarius non sit ex numero Dignitatum, vel Canoniorum ejusdem ecclesie, & velit tamquam Dignitas, vel Canonicus in choro assistere, distributiones quotidianas lucrandi gratia: quia tunc sedere debet in stallo, seu loco suæ dignitatis, vel canonicatus: S. R. C. 12. April. 1603. in Pennen. & 6. Septemb. 1603. in Lauretana. Alia exceptio generalis habetur in cærimoniali Episcop. scilicet: "Vicario generali dabitur locus, quem habere solet per consuetudine diversarum ecclesiarum." Lib. 1. cap. 13. n. 13. & cap. 31. num. 15. Vide n. 109. 113. 156. 171. 222. 230. 582. 607. 616. 626. & 1205.

Cærimonialis liber nec laicis, nec clericis prohibet, quominus in processione SS. Sacramenti deferant inortitia, vel candelas accessas: S. R. C. 12. Aprilis 1603. in Adrianen. (Nec laicis, nec clericis prohibet), sed potius præcipit, nempe, "Intortitia & candelæ, quæ in processione delata fuerunt, non extinguantur, donec Episcopus cum SS. Sacramento benedictionem dederit." Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 33. num. 29.

Assistentes Episcopo, licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates sunt thurificandi: S. R. C. 23. Maii 1603. in Nolana. (Assistentes Episcopo) hoc ordine, primo Presbyter assistens, deinde Diaconi assistentes, mox Canonici, & alii ordine suo: Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 1. num. 16.

Officium anniversarium, vel septenarium, vel trigenarium defunctorum post obitum, si cadat die dominico, vel festivo, transferatur in diem sequentem cum eadem solemnitate: S. R. C. 23. Maii 1603. in Egitanien. Anniversarium adimplendum est ex voluntate testatoris, etiam extra diem annuum depositionis: Vide num. 1278. seq. (Transfertur in diem sequentem) vel potius antecedentem licet duplici majori impedimento, sed non festivo: Vide num. 144. 454. 457. 473. 559. 601. 869. & 1298. Cum eadem solemnitate non immutata missa, & propria Oratione: Vide num. 601. 697. & 1278. seq. An valeat pro adimplenda mente testatoris missa occurrere cantata diebus impeditis: Vide num. 1280. Quid statuatur de anniversario in ruralibus ecclesiis: Vide num. 733. seq. & in octavis privilegii incidentis: Vide num. 485. 835. & 1055. Coram Sacramento: Vide num. 587. & 1243. seq. Notandum, quod hæc sanctio, licet nihil agatur de die tertio post obitum, tamen pati passu procedit cum septimo, & trigesimo: Rub. Miss. Defuncti. in die obitus.

Assistentie ratio non habetur in receptione cinerum, candelarum, & palmarum, sed quilibet debet accedere secundum prerogativam sui ordinis: S. R. C. 23. Maii 1603. in Nolana. Eadem ratio, quæ militat in Cathedralibus, non militat pro aliis ecclesiis Canonicos non habentibus; alia est enim Rubrica in Cærem. Episcop. præscripta pro Cathedrali, & alia à Missali Romano; scilicet: quod Diaconus & Subdiaconus, si sint Canonici, ante omnes Canonicos accedant ad Celebrantem in receptione cinerum &c. Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 19. num.

num. 5. In aliis ecclesiis verò Ministris parati semper capere debent palmas, cineres & statim post digniores de clero, à quo celebrans accepit cineres: Rub. Miss. 5. de feria 4. Cincrum.

Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie vespere in festo omnium Sanctorum, sed recitandum est mane die secundæ Novembris post Laudes diei: S. R. C. 23. Maii 1603. in Egitanien. Episcopo præsentem, concedit S. R. C. posse recitari die prima Novembris ante horam Completorii in cathedralibus ecclesiis modo infra exponendo sub numer. 698. & 740. Similiter & in aliis non cathedralibus, & Episcopo absente, quando consuetudo esset in contrarium, dummodo pro commoditate & frequentia populi esset introducta, extra chorum verò licite absolvi posse post Vespertinas horas statuit rursus S. R. C. numer. 1201.

Ubi adest consuetudo, quod Canonici & Dignitates ministrent Episcopo mitram, gremiale, thuribulum, & id genus alia, debet servari, sicut etiam si adest consuetudo, quod Dignitas seu Canonicus gestet baculum ante Episcopum in quibusdam solemnitatibus: S. R. C. 1. Julii 1603. in Lamecen. & 14. Novembr. 1676. in Bituntina. Improbatur verò administratio bugiæ à Canonico Diacono Episcopo exhibita: Vide num. 340.

Non tenentur omnes Canonici associare Episcopum ab eo altari, in quo missam planam celebravit, ad sedem Episcopalem, si voluerit missæ conventuali assistere: S. R. C. 5. Junii 1603. in Typhernatan.

Destinatæ ad regendum chorum, non est dimovendus à choro, ut assistat Episcopo: S. R. C. 6. Sept. 1603. in Monopolitana num. 341.

Oratio, quæ dicitur in festo Sanctorum Fabiani & Sebastiani, non est alteranda, ita ut de S. Sebastiani tantum recitetur etiam in propria ecclesia eidem dedicata: S. R. C. 6. Septembr. 1603. in Egitanien. (Non est alteranda). Quando officium de S. Sebastiani tantum ut patrono principali, non verò minus principali, recitatur, ut in rubr. Breviar. de occ. num. 8. sub ritu prime classis oratio non erit alteranda, nempe Intortitatem, licet S. Fabiani nomen, cui soli competit eadem ut Pontifici, omissum fuerit: Vide numer. 716. & 926.

Regularibus non convenit continuo officium, & horas Canonicas cum Canonicis & Clericis secularibus in choro decantare: S. R. C. 15. Novembr. 1603. in Illerden. Intellige quando non sint choro obligati: Vide numer. 11. & 1207. seq.

Consuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur cruci feria sexta in parasceve, dentur Magistris cærimoniarum, servanda est: S. R. C. 29. Novembr. 1603. in Beneventana.

Episcopus non debet in ecclesia salutare Canonicos aperiendo caput, sed benedicendo manu: Sac. Rit. Cong. 10. Jan. 1604. in Elven. (Benedicendo manu). Præsentem servari debet, cum Canonicis post cantatam lectionem in matutinis, inclinatus profunde versus altare dicit: Tu autem Domine &c. & facta reverentia Episcopo, qui versus eum facit signum crucis, revertitur ad locum suum: Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 5. numer. 6.

Regulariter pontificali hæc salutatione à communi ceterorum fidelium distinguatur oportet Præses, sive Gubernator, vel Vice Legatus, sicut erga Canonicos servari jubet cærimoniale, lib. 1. cap. 18. ut hi ab Episcopis saluentur capitis inclinatione, qui mutuum correspondere debent salutationem caput similiter inclinando. Quos quidem reverentiales murtos actus omittere necessario erit in matutinis tenebrarum, per integram feriam sextam in parasceve, ac sabbato sancto usque ad solemnem missam exclusive: sicut etiam in singulis mortuorum officiis, concionatore semper excepto: Cærimon. Episcop. lib. 3. cap. 7. Ad Episcopum benedictionem non tenentur Canonici genuflexione, sed tantum caput inclinare, licet ministrari pontificali Episcopo celebranti. Nomine verò Canonico intelligit etiam Canonicos Collegiarum, si adest consuetudo: Vide num. 1071.

Commemoratio S. Mariæ in suffragiis Sanctorum de

bet fieri in ecclesiis eidem dicatis, etiamsi ejus Officium parvum in choro recitatum fuerit: Sac. Rit. Congreg. 10. Jan. 1604. in Bononien. & 13. Jun. 1682. 10. Julii 1690. in una Ordinis S. Francisci. Antiphona hujus commemorationis recitanda prout in Breviario assignatur, cum consueto versu & oratione: Vide numer. 673. seq.

Dignitates, quæ habent præbendas cum onere cantandi Evangelium, seu Epistolam, non tenentur ministrare inferioribus: S. R. C. 10. Januarii 1604. in Salsmantina.

In ecclesia collegiata exempta, præsentem tunc Canonico cathedrali cum Episcopo, & Abbate collegiatae ejusdem cum suis Canonici, prius incensetur Canonicus, quàm Abbas: S. R. C. 7. Februarii 1604. in Alexandrina. Item si omnes Canonici cathedralis adessent cum Episcopo: Vide num. 157. & 369.

Episcopo suffraganeo tenentur Canonici assistere, quando nomine proprii Episcopi functiones Episcopales exerceat: S. R. C. 21. Februarii 1604. in Braccaren. Vide num. 52. & 708. seq.

Canonicus celebrans in aliqua ecclesia collegiata de Urbe, præsentem proprio Vicario illius Ecclesie, ad missam conventualem non tenetur in fine missæ ante benedictionem reverentiam facere ipsi Vicario: Sac. Rit. Cong. 21. Februarii 1604. in una Urbis. Et non tantum Canonicus, sed & simplex Sacerdos, & uterque etiam in missa privata: competit enim coram Summo Pontifice in tota ecclesia, Legato Sedis Apostolicæ in sua legatione, Patriarchæ, Archiepiscopo, & Episcopo in suis provinciis, civitatibus, & diocesis, reverentiam facere ante benedictionem in fine missæ, ante Introitum &c. Papæ verò loco reverentie, genuflexionem unico genu: Rub. Miss. 3. de Bened. in fine Missæ.

Alia clavus reliquiarum SS. Patronorum concedi potest Magistratui seculari ejusdem civitatis: S. R. C. 8. Maii 1604. in Lectoren.

Ubi adest consuetudo, ut Capellani ministrent Canonicis cappas, vel pluvialia capite detecto, servanda est: S. R. C. 19. Julii 1604. in Burgen.

Episcopus potest habere fenestram ex domo respicientem in Ecclesia: Sac. Rit. Congreg. 19. Jun. 1604. in Elboren.

Clerus ecclesie cathedralis unitus ultimo loco incidere debet in processionibus, neque Clerus, vel Canonici altarum ecclesiarum debeat cum dicto Clero cathedralis incidere: S. R. C. 21. Augusti 1604. in Adrianen. Vide num. 8.

Non debet assistens Episcopus deponere ille biretum de capite, sed ipse sibi detrahat: S. R. C. 21. Augusti 1604. in Saronen. Loquitur de bireto presbyterali, non de pileolo mitræ supponendo: junior enim assistentium aufert mitram, altero à dextris Episcopi biretum accipiente, complanando leniter capillos, & dum imponitur ab assistente dextero eadem mitra, postquam biretum imponerit, alter à sinistris adjuvat, & vitas à tergo aptat: Cærem. Episcop. lib. 1. cap. 8. num. 3.

Potest Episcopus ex causa necessitatis olea sacra conficere cum minori numero ministrorum, quàm præscribitur in libro Pontificali: S. R. C. 21. Augusti 1604. in Curien. Rhetorum. V. Pontificale de officio in feria quinta Cœnæ Domini.

Presbyter ritu græco ordinatus à SS. D. Nostro, licentiam petit ingrediendi Religionem Cappucinorum, & celebrandi missam ritu latino, & cum ex ejusdem Sanctissimi Dataria hujusmodi supplicatio ad S. R. C. remissa fuerit: S. R. C. censuit, licentiam petiti celebrandi ritu latino posse concedi post ingressum Religionis, & emissionem professionis; Ead. S. R. C. 16. Octob. 1604. in Anconitana. (Licentiam celebrandi ritu latino) Presbyteris græcis præcipue uxoratis, omnino revocavit S. Pius V. & ne deinceps græci latino more, aut latini græco ritu celebrare presument, in virtute sanctæ obediencie, & sub pena indignationis ac perpetuæ suspensionis prohibuit, etiam sub prætextu missæ & alia officia divina celebrare, constit. quæ incipit: Providentia Romani Pontificis 20. Augusti 1556. edita.

- 4
 41 Cereemoniale Episcoporum non tollit immemorabiles, & laudabiles ecclesiarum consuetudines: S. R. C. 11. Jun. 1605. in una Hispaniarum. (Immemorabiles, & Laudabiles): "Nam Antistes ecclesiarum abusus omnes, qui in ecclesiis aut secularibus aut regularibus contra præscriptum cereemonialis Episcoporum, & Ritualis Romani, vel Rubricas Missalis & Breviarii irrepserint, debent omnino removere: & si adversus ea, quæ in dicto cereemoniali statuta sunt, consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari utpote irrationabilem de jure non posse, executioni eorum, quæ in dicto cereemoniali inscripta sunt, diligenter incumbere debent, nec ulla suspensio, aut appellatio admittitur." Innocentius XIII. constit. quæ incipit: Apostolici Ministerii 13. Maii 1723. & Benedictus XIII. in alia incipiente: in Supremo, 23. Septembr. 1724. Vide num. 55.
- 42 Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam, non sunt recitandæ inter missarum solemnias, ne missæ sacrificium interrumpatur: S. R. C. 11. Jun. 1605. in Orsen. Ita preces ad postulandam serenitatem, aliaque hujusmodi generis, ut in Rit. Roman. de Process.
- 43 Archipresbyter, seu alia Dignitas non debet se intrudere in regimine chori, quod ad solum Cantorem, seu Primicerium pertinet: S. R. C. 3. Septembr. 1605. in Tarentina (Ad solum Cantorem, seu Primicerium pertinet), in defectu prædictorum; & ubi non adest magister chori, spectabit hoc munus ad cereemoniarum magistrum: Cærem. Episc. lib. 1. cap. 5. num. 4.
- 44 Commemoratio omnium fidelium defunctorum non est celebranda, nec faciendæ in die dominico, sed transferri debet in feriam secundam sequentem: S. R. C. 24. Septembr. 1605. in Augustana. (In feriam secundam sequentem), licet festum duplex minus occurrat, aut transferri contingat, omnibus missis de Requiem celebratis, excepta conventuali de festo post Tertiam celebranda. Vide n. 606. 711. 732. 976. & 989. Quid autem statuatur in ecclesia Societatis Jesu Civitatis Cæniponti, consule num. 887.
- 45 Canonici, vel Dignitas factus Episcopus cum retentione canonicatus, vel dignitatis, debet precedere omnibus Dignitatibus, & Canonicis, etiam ipso antiquioribus: S. R. C. 24. Septembr. 1605. in Ruthenen.
- 46 Consuetudo immemorabilis aliquibus in locis, ut campanæ in salutatione angelica non pulsantur ante pulsationem in ecclesia matrici, servanda est: S. R. C. 24. Septembr. 1605. in Giennen.
- 47 Magister cereemoniarum, non autem Sacrista, debet vocare Vicarium, ut hora debita si voluerit ad ecclesiam accedat: S. R. C. 26. Novembr. 1605. in Urbinaten.
- 48 Abbas semel benedictus cum usu bireti, si transferatur ad aliam abbatiam cum usu mitræ, non indiget alia benedictione, sed potest per se ipsum mitram capere: S. R. C. 25. Februar. 1606. in Bisuntin.
- 49 Officium in choro dato signo inchoandum est, non expectato Vicario generali: S. R. C. 25. Februar. 1606. in Neritonem. (Dato signo) campanarum jussu Sacristæ, cui spectabit ut indicentur horæ vespertinarum, matutinarum, & missæ, ac reliquarum horarum canonicatum: Cærem. Episc. lib. 1. cap. 6. num. 4.
- 50 Capellanus confraternitatis non potest suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi, processiones facere: S. R. C. 4. Mart. 1606. in Mileten. Galatri. (Non potest) extra ambitum propriæ ecclesiæ, intra verò an possit & quando. Vide num. 785. seq.
- 51 Eucharistia non est singulis diebus exponenda super altari, sed in quibusdam tantum solemnitatibus: S. R. C. 4. Mart. 1606. in Placentina Provincia Castellane. In quibusdam tantum solemnitatibus, quæ considerantur regulariter oratio quadragesimæ horarum, & festum cum tota octava Corporis Christi, & festum cum tota octava Corporis Christi, & constit. Clement. XI. quæ incipit: Essendo state fatte: à Benedic. XIII. & Clement. XII. confirmata die 1. Septembr. 1736. & Cærem. Episc. lib. 2. cap. 33. num. 34. Vide num. 112.
- 52 Assistentia duarum Dignitatum, vel duorum Canoniorum Episcopo loci ordinario tantummodo convenit

- S. R. C. 9. Maii 1606. (in CæsarAugustana). Etiam Episcopo suffraganeo, quando nomine proprii Episcopi functiones Episcopales exerceat; nulli vero alteri, quamvis Sedis Apostolicæ Legato. Vide n. 32. & Cærem. Episc. lib. 1. cap. 8. num. 4.
- Gubernator civitatis, etiam si sit uxoratus, thurificandus est immediate post Canonicos; absente verò Episcopo, immediate post Vicarium generalem: S. R. C. 9. Maii 1606. & 17. Novembr. 1607. in Faventina. Thurificandus est duplici ductu ab illo ministro, cui cæteros Canonicos inerat onus thurificandi: Cærem. Episc. lib. 3. cap. 5. num. 1.
- Posita præbendarum distinctione in presbyterales, diaconales & subdiaconales, qui de novo obtinuerint presbyteralem, precedere debet habentes diaconales: S. R. C. 17. Junii 1606. in Tropien. Vide numer. 265. 351. & 447.
- Decretum de die 11. Junii 1605. quod cereemonialis liber non tollat laudabiles, & immemorabiles consuetudines, habet locum in omnibus regnis, & locis christianitatis: S. R. C. 17. Junii 1606. (in Elboren.) Consuetudines quando servandæ. Vide num. 41.
- Baculi & mitræ usus sunt correlativa, & cui unum conceditur, alterum etiam concedendum videtur: Sac. Rit. Congreg. 7. Octobr. 1606. in Argentina; & antea 8. Januar. 1605. in Treveren. Baculo Episcopus in sua tantum civitate vel diocesi utitur, & etiam alibi, Ordinario loci annuente: Cærem. Episc. lib. 1. cap. 17. num. 5. Vide num. 168. & 904.
- Vicario non licet dare benedictionem Diacono, antequam canet Evangelium, neque benedicere Prædicatori, antequam pulpitem ascendat: S. R. C. 17. Mart. 1607. in Pacem.
- Archidiaconus, si sustinet baculum Episcopi, thurificandus est immediate post Presbyterum & Diaconos assistentes: S. R. C. 28. April. 1607. in Brucaren.
- Primicerius, licet dubitetur an sit Dignitas, debet in processionebus capere pluviale sicut Dignitas, & non planetam sicut Canonicus: S. R. C. 28. April. 1607. in Capuana. Vide num. 8.
- Benedictio, ac distributio candelarum, & palmarum regulariter potest fieri in omnibus ecclesiis, tam collegiatis, quam parochialibus, tam secularibus, quam regularibus: S. R. C. 28. April. 1607. in Orlien. Vide num. 796.
- Magister cereemoniarum non potest alterare, seu mutare consuetudinem circa præintentionem antiphonarum ad Vesperas: S. R. C. 28. April. 1607. in Suesanen. Consuetudo præintentioni antiphonas ad vespere spectabit ad Subdiaconum, vel alium, juxta ecclesiarum consuetudines hoc ordine. Si Episcopus erit in crastinum celebraturus, Subdiaconus, vel alius à cereemoniario ductus præintonat primam antiphonam, Episcopo debitis reverentiis ante & post intonationem factis, ubique erga eum stabit, donec erit præintonatio repetita, sic & ad Magnificat. Reliquæ quatuor per eundem, seu alterum, ad quem spectat, præintonari debent; secunda scilicet Diacono assistenti à dexteris Episcopi; tertia Presbytero assistenti; quarta primo Canonico in choro, sive sit Archidiaconus, sive Archipresbyter, sive Presbyter; quinta Diacono assistenti à sinistris. Si Episcopus non erit in crastinum celebraturus, tunc non per Subdiaconum, sed per aliquem ex Canonicis, aut alium, ad quem de consuetudine Ecclesiæ spectat, præintonatur, primo ipsi Episcopo, deinde aliis Canonicis, incipiendo à dignioribus prout ecclesiarum circa hoc usus suadebit. Si interesse velit cum cappa, antiphonatur ab aliquo ex quatuor vel sex beneficiatis paratis, primo Canonico celebranti, deinde aliis Canonicis dignioribus juxta morem ecclesiæ. Absente Episcopo, & in collegiatis unus ex Presbyteris paratis præintonat antiphonam primi psalmi celebranti, & illam ad Magnificat; reliquæ quatuor per cantorem, vel per ultimum paratum, si sint plures quàm duo: Cærem. Episc. lib. 2. cap. 1. num. 7. seq. cap. 2. numer. 3. seq. cap. 3. num. 6. seq.
- Episcopus concionaturus in aliena diocesi coram Or-

- Ordinario, etiam Cardinali, non debet petere benedictionem ob supremam episcopalem dignitatem: S. R. C. 28. April. 1607. in Neapol. Vide num. 186.
- 63 Genuflectendum non est ad orationes in missa solemnium, in qua dicitur Gloria & Credo: Sac. Rit. Congreg. 19. Maii 1607. in Placentina. Neque in iis, in quibus dicitur tantum Gloria, nec in votivis; sed tantum in missis ferialibus, & defunctorum, licet ritu solemnioribus celebratis: Rub. Miss. de Orat. & Cærem. Episc. lib. 2. cap. 18. num. 16.
- 64 Chorus universus ad Primam, & Completorium debet replicare Miseratur, & Confiteor: S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina.
- 65 Septimum candelabrum Episcopo celebranti adhibeatur in missis tantum solemnibus, non verò in Vesperis, neque etiam in missis defunctorum: Sac. Rit. Congreg. 19. Maii 1607. in Placentina. Prælo vero Episcopo inferiori, & Episcopo extraneo, etiam in solemnioribus nullo modo convenit: Vide num. 355. & 908.
- 66 Canonici duo Diaconi assistentes, & non Presbyter assistens, debent elevare fimbrias pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur, & thurificat altare: Sac. Rit. Congr. 19. Maii 1607. in Placentina.
- 67 Debetur assistentia Episcopo, quando facit ordinationes in missa solemnium; si verò ipsas in missa privata, vel alias functiones episcopales in Pontificalibus facit, saltem duo Canonici assistant præter Archidiaconum, qui vocare debet ordinandos: S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina. Intellige quando celebrat per civitatem, non verò per diocesim, quoad Canonicorum assistentiam; circa verò Archidiaconum, qui vocare debet ordinandos, ne putes ipsum teneri ad exprimenda nomina singulatum, quia hoc spectat ad Notarium, sed per verum: Accedant qui ordinandi sunt &c. Pontif. Roman. part. 1. de Ordin. Vide num. 129.
- 68 Canonici ecclesiæ collegiatae non debent in processionebus incedere parati sicut Canonici cathedralis: S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina.
- 69 Gloria in excelsis Deo dicitur in missis votivis Sanctæ Mariæ, tam in sabbatis feriatarum, quàm in sabbatis Adventus, licet ipsa die officium non fiat de Beata Virgine: S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina. Item si semiduplicibus sabbato occurrentibus, si eadem missa de Beata Maria tam solemnibus, quàm privata celebratur, hymnus angelicus erit recitandus. Vide n. 575. seq.
- 70 Canonici omnes ex utraque parte chori thurificandi sunt ante Mansionarios, non obstante consuetudine in contrarium: S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina, & 27. Junii 1607. in una Urbis. (Thurificandi sunt) duplici ductu thuribuli Canonici & Dignitates: Mansionarii verò unico ductu. Legato, vel aliis Cardinalibus presentibus, illi semel, isti transeundo thurificantur: Cærem. Episc. lib. 1. cap. 23. num. 32.
- 71 Canonici primus Presbyter debet Episcopo aspersorium ministrare, si præbendæ sint distinctæ; si verò non sint distinctæ, prima Dignitas, vel primus Canonici in ordine id facere debet: S. R. C. 19. Maii 1605. in Placentina. In cathedralibus ecclesiis, & aliis Rectorem beneficiatum non habentibus, secus autem in parochialibus, aliisque, sive sint Regularium monasteria, sive non: spectat enim ad dignorem ecclesiæ, vel monasterii: Vide num. 90. 231. 151. seq. 301. 320. 458. & 788.
- 72 Assistens Presbyter debet Episcopo thurificare ad sedem, quicumque ille sit, non verò Diaconus Evangelii: S. R. C. 19. Maii 1607. in Placentina. (Ad Sedem): secus ad altare, tunc enim ad prædictum Diaconum spectat: Cærem. Episc. lib. 3. cap. 9. numer. 3. Vide num. 92.
- 73 Ubi adest consuetudo recitandi Matutinum media nocte à clero seculari, potest dimitti, & mutari, ut reciteur absente die, ex juxta causa: S. R. C. 21. Junii 1607. in Orsen.
- 74 Presbyter assistens, licet non sit prima Dignitas, thurificandus est ante Archidiaconum à dexteris Episcopi assistentem, quamvis inde Archidiaconus sit prima Dignitas: S. R. C. 23. Jun. 1607. in Versellen.

- Defunctorum missæ non sunt cantandæ, nec celebrandæ diebus solemnibus: S. R. C. 23. Junii 1607. in Veronen. Corpore etiam presente in ecclesia, prohibetur missæ solemnes defunctorum, licet unica, in festis primæ classis festivis: demptis feriis secundis & tertiis Paschatis, & Pentecostes: Feria quoque quinta in Cæna Domini, sexta in Parasceve, & Sabbato sancto: Vide num. 498. 1030. 1101. & 1262. seq. Altis diebus presente cadavere in ecclesia non vetatur missa defunctorum solemnium, & etiam absente corpore, licet apud illos non sepeliatur, exclusis duplicibus primæ & secundæ classis, ac diebus festivis. Vide numer. 1263. Anniversaria dies, tertia, septima, trigesima, & alia missæ cantatæ ex dispositione testatorum, censuit S. Congr. ut celebrentur diebus non festivis de præcepto, etiam officio duplici majori occupatis: Ead. Sac. Rituum Congregat. num. 19. Missæ privatæ celebrandæ non erunt de Requiem, etiam in duplicibus omnibus per annum, licet minoribus, & translatis, tam in diebus festivis, quàm ferialibus, necnon Dominicis per annum omnibus (in quibus Dominicis, anticipatæ ante Epiph. vel post Pentec. non comprehenduntur) & feriis privilegiatis, de quibus consule num. 205. 309. 352. & 1267. Item diebus infraoctavas Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, Vigilia Epiphaniæ, & per totam octavam, & durante expositione publica SS. Sacramenti. Vide numer. 207. 307. 350. & 1262. seq. 478. 487. 485. 462. 691. 835. 882. seq.
- Clerici Seminarii debent in processionebus primi incedere ante clerum secularem, & relinquere locum digniorem Curatis: S. R. C. 1. Septembr. 1607. in Capuana. Vide num. 8.
- Consuetudo immemorabilis, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magistratus, servanda est: S. R. C. 1. Septembr. 1607. in Fanen. Usus duorum thuribulorum ab ipsamet S. C. aliis improbatas, hoc loco permitti videtur. Vide num. 93. & 167.
- Consuetudo, ut hebdomadarii ad vespere capiat pluviale ad capitulum, & non à principio vespertinum, servari potest: S. R. C. 1. Septembr. 1607. in una Theatinorum.
- Antiphonæ feriales ad Laudes ante Nativitatem, omitti possunt in festo solemniter celebrato, ut contingit in festo S. Thomæ; sed Antiphonæ majores ante Nativitatem, etiam in festis solemnioribus, dicendæ sunt ad Magnificat: S. R. C. 17. Novembr. 1607. in Burgen. (Omitti possunt). In Hispania, ne prædictæ antiphonæ omittantur, Gregorius XIII. statuit, ut die 16. Decembris dicendæ sint propter festum Expectationis Beate Mariæ Virginis die 18. occurrentis, omisa antiphona, quæ ad Canticum dicitur, cujus loco dicatur ea, quæ ad Canticum ponitur in psalterio: & idem fiat de antiphonis in die S. Thomæ occurrentibus, reponendis in sabbato, quando festum Expectationis hujusmodi in sabbato venerit, ut scilicet antiphonæ in die S. Thomæ occurrentes, tunc reponantur 16. Decembris, dempta ea, quæ dicitur ad Canticum, ut supra: Gregorius Papa XIII. die 30. Decembr. 1573. constit. quæ incipit: Pastoralis officii: Vide num. 635.
- Simplex reconciliatio ecclesiæ, seu cæmeterii non consecrati, potest committi Presbytero in dignitate ecclesiastica constituto: S. R. C. 9. Februar. 1608. in Cameracen. Hæc facultas ab Episcopo dari potest Sacerdoti, si ecclesia, vel cæmeterium sint tantummodo benedicta; si verò alias fuerint consecrata, Episcopus ipse reconciliare debet: Rituale Rom. de Bened.
- Archidiaconus dum assistit Episcopo solemniter celebranti tam in ecclesia cathedrali, quàm in alia, intelligitur in choro præsens: S. R. C. 15. Martii 1608. in Camerinen.
- Quamvis præbendæ non sint distinctæ, convenit tamen, ut fiat distinctio pluvialium, planetarum, & dammaticarum, in festis solemnioribus: S. R. C. 15. Martii 1608. in Alexandrina. Vide num. 8.
- Missæ conventuales infra octavam Corporis Christi, possunt, ubi est consuetudo, cantari sine Diacono & Subdiacono, excepto die festo, ac Dominica, & die

87 Octava: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*. Cantari sine Diacono & Subdiacono, & incensum absolute non adest. Vide num. 314.

84 Diaconus & Subdiaconus accipiunt pacem ab Episcopo celebrante, statim post Diaconos assistentes, si in missa Communionem non recipiunt: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*. Si vero Sacram Synaxim assumerent, tunc pacem capiunt ab Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt Communionem: Carem. Episcop. lib. 1. cap. 24. num. 3. Vide num. 5.

85 Usus Missalis & Breviarii Romani semel introductus in aliqua ecclesia, quæ habebat particulare Missale & Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis & Breviarii: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Trullen. seu Nullius*. (Quæ habebat particulare Missale & Breviarium) ab ipsa prima institutione, vel per Sedem Apostolicam, vel per consuetudinem ducentorum annorum jam approbatam, alioquin licet Romanus usus non introductus fuerit, non posse satisfieri per particularem recitationem, statuit S. Pius Papa V. constit. quæ incipit: Quod nobis, die 15. Julii 1568. edita.

86 Usus semel introductus, & receptus in ecclesia cathedrali celebrandi festum solemniter de aliquo Sancto, tamquam de patrono, continuandus est, licet non sit de antiquo patronis ecclesie, vel in Breviario Romano de eo non fiat officium: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Sempronien.* Hoc decretum habet locum in iis locis tantum, in quibus usus prædictus esset introductus ante constitutionem Urbani VIII. emanatam die 23. Martii 1630. Vide num. 243.

87 Canonici digniores debent sedere in sedibus, quæ sunt viciniores sedi episcopali: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*.

88 Canonici officium faciens ad vespertas, non potest recusare assistentiam Clericorum in defectu Capellanorum, vel Beneficiorum, sub prætextu, quod cæremoniæ dicar, id minus pertinere ad Capellanos, vel Beneficios: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*. Cæremoniæ super recognitum, alternative à Presbyteris seu Clericis assistentiam, pluralibus indutis, sumendam, statuit lib. 2. cap. 3. num. 16.

89 Episcopos ad Matutinum in nocte Nativitatis Domini, sedere potest vel in sede chori, vel in sede episcopali, prout melius sibi videatur, & magis populo satisfaciat: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*.

90 Aspersorium aquæ benedictæ portigendum est Episcopo à Priore ecclesie collegiatae, dum eo accedit Episcopus; non autem à prima Dignitate, vel primo Canonico ecclesie cathedralis: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Camerinen.* Vide num. 71.

91 In purificatione attendatur consuetudo inter Vicarium, & Canonicos, & alios, nisi Canonici sint parati: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*. Vide num. 1. & 16. Hoc idem intelligitur in accipiendis candelis, cineribus, & palmis.

92 Diaconus Evangelii debet thurificare chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consuetudinis: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*. (Chorum). Hinc sub nomine chori non intelliguntur Acolythes, Thuriferarii, alique, si choro superstant, & reliquis populus, qui à Thuriferario omnes erunt incensandi, non verò à Diacono. Magni Principes verò, Magistratus omnes, Barones, Dominicelli, & mulieres insignes, ut Regina, vel Magnæ Principissæ, qui præter Imperatorem, Regem, & Prætores, necnon Gubernatores regnorum, & provinciarum, ab iis thurificanti, ad quos ex consuetudine id munus pertinet, scilicet vel à Presbytero assistente, si Episcopus esset apud sedem, vel à Diacono Evangelii, si esset apud altare, vel faldistorium: Carem. Episcop. lib. 1. cap. 23. num. 24. 30. seq. & Miss. Rubr. 100. de Incens. Vide numer. 97.

93 Non approbatur usus duorum thuribulorum in incensatione personarum: S. R. C. 15. Martii 1608. in *Alexandrina*. Vide num. 77.

94 Duorum Canoniorum assistentia semper convenit

Episcopo, sive celebret ipse, sive assistat divinis: Sacr. R. C. 10. Maii 1608. in *Granaten.* Decretum, quod considerari debet in civitate, non verò per diocesim, non loquitur de Matutinis, quantumvis solemnibus: Carem. Episcop. lib. 2. cap. 5. num. 1. Vide num. 157.

95 Confraternitati sanctissimi Sacramenti, si sumptus ceræ facit, indulgetur ut in processione ejusdem SS. Sacramenti aliqui ex confratribus saccis induti cum fanalibus accensis, incendant hinc inde, & apud idem SS. Sacramentum, dummodo major pars confraternitatis cum sua cruce & insignibus incendant ante in loco suo, juxta Bullam Gregorii XIII. S. R. C. 10. Maii 1608. in *Nepesina*. (Juxta Bullam Gregorii XIII.) editam 11. Martii 1573. incipient. Cum interdum: Vide num. 151.

96 Prima Dignitas det candelam Episcopo in festo Purificationis B. M. V. & Episcopus det primæ Dignitati, ante Vicarium generalem: S. R. C. 14. Junii 1608. & 28. Maii 1616. Vide num. 16. & 454.

97 Baro dominus loci in ecclesia parochiali non collegiata, ubi non sunt Canonici, thurificandus est post celebrantem, ministros paratos, & Archiepiscopum duplici ductu, ab eodem ministro qui thurificat, & ante omnes alios Presbyteros: S. R. C. 27. Sept. 1608. in *Bisnani.* (Ab eodem ministro), scilicet à Diacono in Missis, in vespertis vel laudibus ab assistente parato ultimo, quatenus sint sex vel quatuor; alioquin à Thuriferario: Carem. Episcop. lib. 1. cap. 23. num. 1. & lib. 2. cap. 3. num. 10. seq. Vide num. 92.

98 Sanctæ Eulaliæ officium cum octava, etiamsi veniat in Quadragesima, juxta antiquam & immemorabilem consuetudinem, concedit S. R. C. 6. Decembris 1608. in *Barchinonen.* (Juxta antiquam & immemorabilem consuetudinem): Dies enim infra aliquas octavas privilegatas occurrentes, & in feriam quartam cinerum suspenduntur ipsamet die tantum, atque ita commemoratio octavæ erit omitenda, & preces in officio recitanda. Vide num. 534. seq. 537. & 1017.

99 Dignitates tenentur associare Episcopum cum Canonicis, ex debito, licet cæremoniæ Episcoporum nominet tantum Canonicos: S. R. C. 10. Januarii 1600. in *Faven.* (Dignitates) etiam prima archidiaconalis: Vide num. 394.

100 In festo SS. Corporis Christi non convenit cantare cantiones vulgari sermone: S. R. C. 21. Martii 1609. in *Abulen.* (Cantiones vulgari sermone) sed hymni, præcipue sequentes: "Pange lingua gloriosis Sacris solemnis: Verbum supernum prodiens: Salutis humanæ sator: Eternæ rex altissime." Celebrans quoque per viam semper submissa voce aliquos psalmos, vel hymnos recitabit, ministris respondentibus: Carem. Episcop. lib. 2. cap. 33. n. 22. Rit. Rom. de Procession. Vide num. 1129.

101 Benedictio candelarum, cinerum, & Palmarum, & aliæ similes actiones, quas faceret Episcopus præsens, eo absente vel impedito, ad primam Dignitatem, non verò ad Canonicum hebdomadariam pertinent: S. R. C. 21. Martii 1609. in *Pisauren.* & 5. Julii 1621. in *Ferentin.* (Aliæ similes) ut sunt Nativitas Domini, Epiphania, Feria quinta in Cena Domini, Dominica Resurrectionis, festum Ascensionis, & Dominicæ Pentecostes, & processio in die Corporis Christi; item festum Annuntiationis, & Assumptionis Beate Mariæ Virginis, festum SS. Apostolorum Petri & Pauli, Omnium Sanctorum, S. Titularis vel Patroni Ecclesie, & dies anniversaria Dedicationis Ecclesie; item etiam Fontis benedictio; denique festum Patroni civitatis, vel festivitates aliæ extraordinariæ juxta peculiaris locorum mores, & circumstantias: Carem. Episcop. lib. 2. cap. 27. num. 16. & 34. num. 2. lib. 3. cap. 3. num. 1. (Ad primam dignitatem). Et prima impeditur ad secundam, & sic successive; nullo modo ad Vic. gener. tam in his, quam in aliis à S. R. C. enumeratis. Vide numer. 118. & 297.

102 Canonici Episcopo assistens, superveniens digniore Canonico, debet illi cedere locum assistentie: Sacr. R. C. 20. Junii 1609. in *Ferrari.* Editum hoc consideratur, cum assistentes non sint parati, sed habitu

103 Canonici tantum induti, ut in Carem. Episcop. lib. 1. cap. 8. num. 4. Vide num. 306.

104 Potest Episcopus compellere Regulares etiam per censuras, ut accedant ad publicas processiones: S. R. C. 27. Julii 1609. in *Ferrari.* Monachos Congreg. Cassinensis excipie, nisi ad processionem SS. Sacramenti. Vide num. 2.

105 Abbas, licet habeat usum mitræ & baculi, & solemniter benedicere populo possit, privatam tamen benedictionem more Episcoporum per vias minime dare potest: S. R. C. 24. Aug. 1609. in *Provincia Burgensi.* Comprehenduntur etiam Abbates populum habentes plene jure subjectum, etiamsi pontificalibus induti, & per ecclesiam suam incidentes. Vide num. 367.

106 Curatus ratione stolæ debet præcedere aliis Presbyteris etiam Canonicis ecclesie collegiatae: S. R. C. 24. Octobris 1609. in *Saxo Ferro Nucernæ Diocesis.*

107 Presbyteri & Clerici cathedralis omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, & sub una cruce debent incedere: S. R. C. 28. Novemb. 1609. in *Macraten.* Vide numer. 8. & 132. (Sub una cruce): Adverte loqui decretum de cruce processionalis, non archiepiscopali in cathedralibus ante Canonicos paratos tantum ponenda: Carem. Episcop. lib. 2. cap. 32. num. 2.

108 Reliquiam deferre in processionebus pertinet ad Superiorem conventus, unde reliquia assumitur, qui cum ministris paratis ultimo loco incedere debet, sed Regulares debent in dictis processionebus cedere digniore locum cetero seculari: S. R. C. 23. Januarii 1610. in *una Sennagallien. Montis Badii.* & 24. Sept. 1605. necnon 19. Apr. 1608. Vide num. 8. & 166.

109 Archidiaconus non potest assistere Episcopo in habitu prælationis non choralis, licet sit Protonotarius: S. R. C. 6. Martii 1610. in *Asculana in Apulia.* An possit uti sub tana violacea: Vide num. 110. & 184.

110 Canonici parati assistentes Episcopo præcedunt Vicario generali, & sunt ante ipsum thurificandi: S. R. C. 6. Martii 1610. in *Agitanen.* Vide num. 16.

111 Canonici, vel Presbyter paratus officium faciens, debet habere locum etiam à Decano: Sacr. Rit. Congr. 26. Junii 1610. in *Arboren.* Vid. num. sub. (Habere locum) panno coopertum coloris solemnitatis in cornu Epistolæ preparatum, vel ad stallum, seu primam sedem chori ab ea parte, quæ eidem illa hebdomada obtigerit, in qua sede ponetur pulvinum, & alterum cum tapeto super alio scanno, seu genuflexorio ante se posito, super quo etiam ponitur liber serico colore ceterorum paramentorum testus: Carem. Episcop. lib. 2. cap. 3. num. 4. Vide num. 115. & 143.

112 Archipresbyter, licet sit prima Dignitas, in choro tamen debet cedere primæ & digniorem locum Canonico celebranti: Sacr. R. C. 26. Junii 1610. in *Arboren.* Vide num. ant.

113 Decretum in visitatione factum contra regulas libri cæremoniæ, non est servandum: S. R. C. 7. Aug. 1610. in *Vercellen.* (Non est servandum); nisi ad servandas laudabiles, immemorabiles, & approbatas consuetudines, esset emanatum. Vide num. 41.

114 Vicario generali in choro præsentem, & Episcopo absente, si primum stallum ei detur in dextera altaris, debet in parte sinistra prima Dignitas, secunda verò post Vicarium: S. R. C. 7. Aug. & 25. Sept. 1610. in *Adrien.* Vide num. 16.

115 Nullo modo convenit ut Magister capellæ incedat in processionebus cum beneficiatis; sed quacumque consuetudine, vel usu non obstante, debet incedere cum suis cantoribus immediate post crucem ante ipsos beneficiatos, vel in loco, ubi ab Episcopo ordinatum fuerit: S. R. C. 20. Novemb. 1610. & 15. Januarii 1611. in *Urchetana.* Vide numer. 8. (In loco, ubi ordinatum fuerit) regulariter ante Thuriferarium, post quem præcedit Crux: Carem. Episcop. lib. 2. cap. 11. v. 15.

116 Sacerdos, Diaconus & Subdiaconus celebrantes solemniter possunt, & debent sedere in banco, dum cantatur Gloria, Credo &c. Etiamsi sint beneficiati, vel Cappellani, prout sedent Canonici, non obstante

qualibet consuetudine: S. R. C. 15. Jan. 1611. in *Perusina*: (Gloria, Credo &c.) Scilicet Kyrie, Graduale, & Sequentia, si multum tempus in iis decantandis insumatur, ultra illud, quod requiritur ad recitandum Kyrie, vel legendum evangelium; quæ ante, non post sessionem recitanda, aut legenda sunt. Bancus verò pro eadem sessione erit oblongus sine postergalibus, decenti panno ornatus, licet Celebrans, & Ministri essent Canonici, semper à latere epistolæ ponendus: Vide numer. 110. & 143.

117 Cantor, si est Dignitas in cathedrali, debet summunus obire, vel per se ipsum, vel per vicecantorem ante sumendum, ab Episcopo approbandum, qui non sit de iis, qui alioquin choro sunt obligati: S. R. C. 19. Maii 1611. in *Lucorina*.

118 Inter Canonicos Presbyteros nulla datur præcedentia, nec præminentia ratione doctoratus, sed tantum ratione ordinis, & antianitatis: S. R. C. 19. Maii 1611. in *una Terra Coniglioni diocesis Montis Regalis in Sicilia.* Similiter inter Presbyteros simplices. Vide n. 181.

119 Missarum solemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in processione in ejus festivitate, candelarum, cinerum, & palmarum benedictiones, & functiones similes, quas Episcopus præsens in sua cathedrali facere solet, & debet juxta formam libri cæremoniæ Episcoporum, absente vel impedito Episcopo, ad primam Dignitatem, & deficiente prima ad secundam, & sic successive pertinet: S. R. C. 25. Junii 1611. in *Civitaten. seu S. Severi.* (Functiones similes). Vide numer. 101.

120 Canonici Protonotarius potest uti sub tana violacea in choro, & in ecclesia, dum divinis assistit, dummodo in ceteris habitum proprium Canonici convenientem deferat: S. R. C. 14. Jan. 1612. in *Panormitana.* (Dummodo in ceteris habitum proprium Canonici deferat), alioquin partitiones quibidianas amittit. Vide n. 108. & 184.

121 Tenentur omnino Canonici ad cantandam missam de die, ut Incurrentibus distributions: S. R. C. 28. Januarii 1612. in *Orcen.* de die, id est, de festo, vel feria currenti, ut in seq. n.

122 Missa conventualis de festo, seu de feria currenti omnino cantanda est, non obstante quacumque contraria consuetudine: Sacr. Rit. Congregat. 28. Januarii 1612. in *Orcen.* (Missa conventualis): Benedict. XIV. decrevit ut applicetur pro Beneficiatis in genere, in omnibus Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis ecclesiis, non obstante quavis licet immemorabili consuetudine in contrarium. Et non tantum de una, sed etiam de secunda, vel tertia, si forte ex rubricis missalis teneantur celebrare, statuit; cum hac tamen moderatione, quod consuetudo in contrarium stare possit quoad secundam, & tertiam dumtaxat, dummodo eorum benefactorum non obliviscantur in commemoratione defunctorum omnium; const. quæ incipit: Cum semper, die 19. Aug. 1744. emanata.

123 Aspersorium cum aqua benedicta Episcopo accedenti ad ecclesiam, semper debet ministrari à prima Dignitate, vel digniore Canonico: Sacr. Rituum Congr. 12. Martii 1612. in *Sarzanensi* & antea 16. Julii 1605. in *Salamantina (Ly semper)* non comprehendit ecclesias extra Cathedralium Rectorem habentes, vel monasteria. Vide num. 71.

124 Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit aliis collegiatis antiquioribus: S. R. C. 24. Martii 1612. in *Firmana*.

125 Ante Dignitates non debet poni pulvinar cum tapeto, sed debent sedere in suis stallis, prout sedent alii Canonici; tamen ratione dignitatis potest indulgeri pulvinar de corio tantum: Sacr. Rit. Congr. 24. Martii 1612. in *Tudertina* (Ante Dignitates), etiam primæ Archidiaconales, cum missam solemnem aut sacras functiones non peragant. Vide num. 111. & 482.

126 Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ, absque expressa licentia, quam dare debet S. R. C. Eadem S. Cong. 12. Maii 1612. in *una Urbis.* Vide n. 41.

127 Rectores ecclesiarum parochialium in processionebus,